

br. cap. 11. asserit: Affirmo post Apostolum, SS. Prophetar. & Patriarchas veteris Testamenti debitum sibi premium non adhuc recepisse, nolente Deo, ut ante nos retributionem obtinerent. Inter illos Justos recenset Abelem, Noe, Abrahamum; & ipsam tandem Apostolum. Aded ergo longè aberat Chrysostr. ab adstruenda corporum illorum Sanctotum beatitudine, ut ne animabus quidem concederet. Eadem fermè scribit Theodoretus in eundem locum S. Pauli (e), omnes enim sanctos, nullo excepto, opperiri ait debitas sibi coronas, & præmia. Docet Theophylactus viros illos sanctos ad vitam tantùm revocatos fuisse, ut resurrectionis Jesu Christi veritatem adstruerent; cuius signum est, ait, quod post quàm se spectandos pluribus Jerosolymæ commorantibus obtulerunt, iterum jacuerunt in sepulchro (f). Agnoscit Euthymius in Matth. 27. rediisse illos ad vitam, ut fidem adstruerent prædicantibus Jesu Christi resurrectionem; sed iterum obiisse affirmat: quæ communis est Græcorum, persasio, sententias S. Chrysostr. plerumque adoptantium.

e In Hebr. 11. pag. 452.

f Theophylact. in Matth. 27. pag. 178.

g In Luc. c. 8. Sic & resurrectio temporalis in Passione Domini celebratur, ut perpetua illa credatur.

Asserit non ambigè S. Ambrosius, Jesum Christum gratiam futuræ resurrectionis nobis promeruisse, sed, ait, solus ipse adhuc resurrectione perpetuâ resurrexit. Et alibi (g), temporali resurrectione viros illos Sanctos ad vitam rediisse affirmat; agnoscens simul illâ æternæ nostræ resurrectionis typum exhiberi.

Patres, quorum testimonia huc usque laudavimus, non nisi obiter rem attigerunt; seridè expendit S. Augustinus in Epistola 164. ad Evodium num. 7. 8. 9. Revocat in examen argumenta serè omnia, supra à nobis deducta; & post librata utriusque partis momenta, statuit tandem, minus sibi persuaderi, justos ad vitam revocatos cum Jesu Christo, sive eodem, quo ille, tempore, sive post illum (nihil enim sibi affirmandum eâ de re censet), ad vitam immortalem revocatos fuisse. Alioqui enim credit Augustinus nunquam asseri potuisse Christo privilegium primogeniti mortuorum; vix etiam constaret illud Apostoli ad Hebræos 11. 40. Deum nimirum providentiæ suæ consilio id voluisse, ut Patriarchæ perfectam operum suorum retributionem ante nos nequaquam reciperent. Addit tandem, imbecilliolem futuram alioqui vim argumenti S. Petri, qui è sepulchro Davidis, in Judæa suâ adhuc ætate spectando, Judæis demonstrat, Davidem ipsum à corruptione expertem non fuisse, ac proinde ad alium planè spectare Textum Psalmi secundi, de quo nos supra.

h D. Thom. 3. p. 953. art. 3.

S. Thomas (h), post relatas utriusque opinionis rationes, sententiam suam profert, docet, Sanctos illos unâ cum Jesu Christo ad vitam revocatos, novâ iterum morte interisse: quam nos pariter sententiam magis conformem reputamus Scripturæ, Patribus, atque ipsi demum traditioni. Nec suâ responsione carent argumenta, quibus sanctorum æterna resurrectio probatur. Triumphum Jesu Christi satis de-

corabat ingens illud animarum satellitium, quod è longa illa tot sæculorum captivitate liberatum, secum ille triumphantis more in Cælum tunc primò patens mortalibus deduxit. Æqua enim ratio volebat, triumphatorem illum à cæteris, qui pompam comitabantur, distingui, ut gloriosum ejus & immortale corpus omnium primum in gloriam, introduceretur; quod satis erat ad fidem nostram confirmandam, spem erigendam, solandos viros Sanctos, qui alioqui futuram corporum resurrectionem non secus ac nos oppetiuntur.

Cùm autem Prophetæ & Patriarchæ reipsâ ad vitam, licet deinde ponendam, redissent, documentum exhibere poterant apertissimum de veritate resurrectionis Jesu Christi; quæ si semel mortalibus constitisset, constare utique poterat futuræ nostræ resurrectionis dogma. Viri illi Sancti, qui corpus receperunt, ut de resurrectione Christi fidem exhiberent, eo jubente corpus illud sine dolore & dolorum tumultu posuerunt, statim ac munere suo functi sunt; commodum enim sibi ducebant, si voluntatem cælestis Patris impleverent. Nec Deus inconstantiæ vel pœnitudinis in eo argueretur, quod novæ illos morti permisit; non enim nisi eâ conditione revocavit ad vitam. Hanc illis gratiam plenam utique & absolutam contulit; nihil autem illum cogebat, ut semel eâ concessâ, alteram pariter adderet, satis utique diversam, ut scilicet immortalitate corporis & Cælo donaret.

Patres illi, qui pro immortalitate Sanctorum laudantur, in tres classes distingui possunt. Alii aperto testimonio, sed nullo satis valido argumento, rem asseruerunt; alii hæsitantes & ambigè rem docent; alii tandem sibi ipsis non constant, eorumque testimonia in utramque sententiam afferuntur. Prioribus illis Patribus alios opponimus, æquè clarè & expressè, sed melioribus ductis rationibus, oppositum affirmantes. Quorum testimonia obscura sunt & ambigua, sicut & eorum, quorum pro utraque sententia momenta valent, autoritatem non moramur; æquè enim pro nobis ac contra nos laudarentur. Ejus planè generis testimonia nulla sunt; & cum Patres & Ecclesiastici Authores inter se committuntur, æqua ratio postulat, ut utriusque partis momenta expendantur. Persuasum autem habemus, Scripturæ Textus illos, quos laudavimus, multò esse clariores, quàm qui pro adversa sententia afferuntur. Accedit insuper nobis suffragium illorum Patrum, qui veluti tres columnæ Theologiæ habentur, nimirum S. Chrysostr. apud Græcos, S. Augustini apud Latinos, & S. Thomæ apud Scholasticos.

Audacter igitur affirmandum nobis ducimus, Sanctos illos ita rediisse ad vitam, ut novæ morti subderentur; è qua iterum in novam vitam statâ die revocandi sunt. Si minus aatem constet numerus, ætas, & cætera omnia, quæ ad resurrectionem pertinent, constat tamen reipsâ resurrectisse instructos corpore, non omnium quidem intuentium oculis subjecto, nec eâ fortè

fortè gloriæ dote aucto, qua tandem fruenturi erunt. Justi in gloria Cælesti; apto tamen ad persuadendam & præsentem Jesu Christi resurrectionem, & hominum futuram. Asserimus tandem, contigisse facile, ut non nisi post Domini resurrectionem, adedque post reditum ejus ab Inferis (ed

enim descendisse post obitum ad liberandas Sanctorum animas in ejus expectationem arrectas; Fides docet) Sanctos illos vitæ resitutos; quamquam Textus S. Matthæi 27. 52. 53. habet patuisse monumenta statim cum Jesu Christus in cruce spiritum emisit.

DISSERTATIO DE S. JOSEPH S. MARIÆ VIRGINIS CONJUGE.

Quæcumque de S. Josepho attingit, pauca licet, Scriptura, aded ad viri gloriam conferunt, & quæ de illo agitantur quæstiones, tanti videntur momenti, ut peculiari Dissertatione de insigni illo viro tractare opera pretium duxerimus. S. Josephus germen est Davidicæ radicis infigne, Mariæ conjux, Virginitatis ejus custos, Jesu Christi parens, & altor. Ipso S. Spiritus organo Justo titulo decoratur. En Viri decora, en agitata de illo quæstiones. Quæ Viri genealogia? quod munus? an præter S. Virginem priorem alteram conjugem admiserit? quomodo ad ejus conjugium pervenerit? cur dimittere illam cogitaverit? quo sensu Justus appelletur? quando obierit? & ubi fuerit sepultura? mandatus? Hæc modò nobis discutienda.

ARTICULUS I.

Joseph genealogia.

a Matth. 1.

b Luc. 3. 23.

c Harduin. Chronol. V. T. pag. 523.

d Hilar. in Matth. 1. Euseb. Hist. Eccl. l. 1. c. 7. Cyrill. contra Julian. Euseb. q. 2. in Matth. Theophyl. Euthym. in Matth. 1. Vide Maldonat. in Matth. l. 16. Grot. Brug. alios.

AD Tribum Juda, & familiam David pertinuisse S. Josephum, tradente Scripturâ sat constat. S. Paulus ad Hebr. 7. 14. scribit, omnibus exploratum esse, Jesum Christum è familia Juda satum fuisse; & Angelus ad Josephum, Matthæi 1. 20. Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Idem tandem Evangelista ejus viri genealogiam deducit ab Abraham per Davidem (a).

Plures tam inter Recentiores, quàm Veteres autumarunt, S. Lucam (b) eandem pariter Josephi genealogiam ab Adam usque ad Heli intruxisse; sed quæ negocium faciunt in hac opinione, infra examinabimus. Discutendum est prius, an Joseph unicus esset hæres in familia David, quod Erudito cuidam recentiori (c) probatur; seu potius ille tantum ætiori quàm cæteri omnes necessitudinis vinculo necederetur Virgini; quæ cum, juxta plurimorum Patrum sententiam (d), unica esset patris sui, & familiæ hæres; ex Legis præ-

scripto (e) conjugi Josepho fuerit destinanda.

Ad primam illam difficultatem quod attinet, duobus illa Textibus prepoherè expositis innititur. Priori illo Angelus Josephum appellat filium David (f); secundo Gabriel hæc habet ad Mariam: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum.* Hisce duobus Textibus probatum creditur, Josephum unicum fuisse, & singularem Davidicæ domus heredem simulque Jesum Christum in hanc hæreditatem illius successisse. Stataunt proinde impletam in Jesu Christo fidem oraculi Jacob (g): *Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.*

Hujus ratiocinii vim me planè non affequet fateor. Joseph filius est David; unicus ergo erat in domo sua, & singularis familiaris hæres. Tum & illud: *Jesus Christus regnabit in Domo Jacob, & sedebit in sede David patris sui;* postremus est ergo familie illius hæres. Tantumdem profectò liceret inferre de Salomone, Roboamo, Josia, cæterisque Regibus Juda post Davidem. Nonne Jesus Christus palàm manifestavit, Regnum suum non esse de hoc mundo (h)? Nonne legimus, diu post ejus obitum Vespasianum Imperatorem solerter indagari justisse reliquias Domus Davidicæ, quibus exterminatis, deflectionis, & restituendæ Monarchiæ ansam omnem Judæis adimeret (i)? Restabant ergo è Davide hæredes; nec Jesus Christus unquam ad temporale aliquod Regnum jus sibi vindicavit.

Quod attinet ad opinionem præferentem, Josephum ætissimo supra cæteros necessitudinis vinculo conjunctum fuisse cum Mariâ, unicâ in Domo suâ heredem, hæc non recens in vestra, sed antiquissimo hæbet assertores, S. Hilarium, S. Cyrillum Alexandrinum, Eusebium Cæsariensem, S. Eucherium, Euthymium, Teophylactum, aliosque plures; sed rationes promendæ sunt. Vetusissima Evangelia Nativitatis B. Mariæ, & Protevangelium S. Jacobi aperte notant, Mariam unicam fuisse matris suæ Annæ & Joachim; sed eorum Operum autoritas, præterquam ejus opinionis V-

e Num. 36. 6. 7.

f Matth. 1. 20.

g Gen. 49. 10.

h Joan. 18. 36.

i Euseb. Hist. Eccl. l. 3. c. 12.

tustatem, nihil sanè probat.

Nemo unus apud Veteres S. Virgini fratres assignavit (k); qui tamen sorores tribuerint, plures sunt profecto. Et quando fratribus omnibus & sororibus caruisset, non statim tamen inferretur, S. Josephum sive ad ejus familiam pertinuisse, sive arctissimo præ omnibus necessitudinis vinculo cum illa conjunctum; nunquam enim in Lege interdium puellis, ad quas hæreditas non pertineret, ut quem maximè vellet, conjugem seligerent. Hæreditibus tantum, quæ germanis carent, sive illæ plures fuissent, sive una singularis puella, preceptum fuit, ut in Tribu sua conjugem quaerent (l): Nubant quibus voluit, tantam ut sua Tribus hominibus. Scriptores Veteres apocryphorum illorum Evangeliorum, quæ supra, nunquam ferunt S. Josephum coactum fuisse lege propinquioris cognationis ducere sibi in conjugem Mariam; quin & contraria omnia docent. Nec sanè quidquam habent eâ de re Patres, nisi fortè unicus S. Epiphanius hæres. 78. c. 7. Inferunt tamen plures, S. Virginem ad Tribum Juda & familiam David pertinuisse, quod ex illa satis esset S. Josephi: inferunt autem eo ducti, sed non vero principio, puellas scilicet lege coactas nubere viris è Tribu & familiâ suâ. Nihil enim tale de puellis generatim in Lege, sed tantum de hæreditibus, uti supra innuimus.

Statuendum est planè, S. Matthæum in capite Evangelii sui genealogiam S. Joseph deduxisse; an verò eandem instruxerit S. Lucas, ex eo maximè ambigitur, quod series genealogica apud geminos illos Evangelistas à Davide usque ad Zorobabelem, & à Zorobabele usque ad S. Josephum Virum S. Mariæ, omnium in ea postremum, variat. In S. Matthæo pater Josepho assignatur Jacob, in S. Luca Heli. An duo hæc nomina duos distinctos homines, an unicum & singularem designant? Reponunt duos esse viros, quos ambos diversâ ratione assignatos Josepho parentes volunt; alter enim parens erat juxta Legem sive adoptione, alter secundum carnem & naturalis (m). Patrem juxta legem appellamus illum, cui sine liberis decedenti frater superstes vel propinquior inter cognatos, viduâ ejus conjugem ductâ, liberos suscitavit (n), defuncto illi assignatos. Sed cum ista mera sit hypothesis, uter ex illis, Jacob ne, an Heli, pater esset naturalis vel adoptivus non constat.

Verumtamen invaluit in Ecclesia vetustissima quædam traditio, à Julio Africano servata [o], quam tenere se profiteretur à necessariis Jesu Christi secundum carnem. Fert autem illa, Matbanum è Davide per Salomonem prognatum, & Melebim è Davide per Nathanum, eandem conjugem Escham alterum post alterum duxisse: ex qua femina Mathano natus est Jacob, & Melchi genitus Heli. Porro Heli uxorem duxit, cujus nomen latet, liberis vacuum decessit. Quare juxta Legis præscriptum (p) Jacob viduam ejus conjugem duxit. Et postremo isto conjugio natus est Joseph, simul & semel filius Jacob secundum natu-

ram, & Heli secundum Legem.

Hæc difficultatis solutio èd magis in pretio habenda est, quòd magis tamquam domesticos habet assertores; deducta enim dicitur ab ipsa S. Joseph familia, cujus sanè testimonio præ cæteris standum esse arbitror. Sed illud habet incommodi, quòd Melchi & Heli alterum post alterum jungit, veluti filium & patrem; cum inter duos illos, nempe inter Melchi & Heli, S. Lucas duos constituat, nempe Mathat & Levi. Legisse videtur Julius Africanus cæterique illum secuti, in suis Exemplariis nomina Melchi & Heli duobus illis intermediis expunctis. Et quidem S. Irenæus l. 3. c. 33. nonnisi 72. generationes supputat ab Adam usque ad Jesum Christum; cum S. Lucas 74. juxta nostra Exemplaria præferat. Positum ab Africano systema maximè invaluit apud Veteres (q), nec sanè infrequentes habet laudatores apud nostrates.

Autumat S. Epiphanius hæres. 78. num. 7. Jacob cognomento Pantherem, patrem fuisse S. Joseph & Cleopha, S. Josephum proterem conjugem è Tribu Juda duxisse, è qua sex filios, quatuor nempe mares, & duas foeminas, retulerit. Natu maximum inter filios statuit Jacobum fratrem Domini. Paulò aliter rem explicat S. Damascenus de Fide l. 4. c. 15. tenet enim Levi per Nathanum è Davide prognatum, filios habuisse Melchi & Pantherem: è Pantherem natum Bar pantherem; ex hoc verò Joachimum, patrem B. Virginis. Ex altero verò genealogiæ furculo Mathan è Davide per Salomonem filium habuit Jacob patrem Joseph, conjugem B. Mariæ. Nomen Pantheris legitur pariter in Origene (r), in Thalmude Babylonico (s), & in Actis Jesu Christi, Judæorum operâ vulgaris; habent enim hæc omnia Pantherem veluti parentem Jesu Christi. Verùm traditionibus istis ut antiquitatis multum, ita fidei parum est; procul sunt enim fabellæ à Judæis, unice studentibus ut invdiam Jesu Christo & Christianæ Religioni crearent.

Expediorem conciliandæ utriusque Evangelistæ genealogiæ rationem inire se recentiores Interpretes autumarunt (t), statuentes, deductam à S. Matthæo genealogiam S. Josephi, & à S. Luca alteram Virginis Mariæ. Juxta hoc systema, Jesus Christus è familia David natus est per utrumque parentem; uterque enim, licet per diversos canales, ex eadem familia deducitur. Cum autem postremam hanc sententiam peculiari Differtatione nos antea firmaverimus, nihil hinc ulterius immorandum.

Non desuerunt, qui crederent (u), S. Josephum jura Sacerdotis & Regis in se uno conciliasse; quippe qui furculus esset domus Davidicæ & Aaronicæ. Nihil tamen occurrit sive in Evangelio, sive in traditione, quod faveat huic opinioni: necessitudine quidem cum familia Sacerdotali juncta erat B. Virgo, cujus dicitur cognata S. Elisabeth è filiabus Aaron: sed numquid propterea ad eandem familiam Joseph pertinebat? Reputarunt etiam Ve-

k Vide Hieron. in Matth. 27. in Heliod. c. 7. Theodoret. in Epist. ad Galat. pag. 268. Petr. Chrysol. serm. 48. Beda in Mar. 3. 18.

l Num. 36. 6.

m Vide Ambros. in Luc. Quidam apud August. quæst. in N. T. q. 56. Idem l. 2. q. 9. Evang. q. 2. Idem de consensu Evangelist. l. 2. c. 2. 3. n Deut. 25. 5. o African. ad Aristid. apud Euseb. l. 1. c. 7. Histor. Eccl.

p Deut. 25. 5.

q Euseb. hist. Eccl. l. 1. c. 7. Ambros. l. 3. in Luc. Nazian. Carm. de Christi generat.

r Contra Celsum l. 1. pag. 25. edit. Cantabrig. s Tract. Sanehedrin. t Galatin. Janfen. Genebr. Grot. Gemar. Lig-foot. Hor. Hebr. Brug. in Matth. Spanhem. Dub. Evangel. Voss. de Generat. Christi. Toyner. harm. Evang. pag. 3. 8. 13. u Serm. 3. in Annunciat. Virg. pag. 325. 326. Appendic. l. 5. Oper. S. August. nov. edit. idem qui sermone 25. & in Nativitate Domini Appendic. Lovaniens. pag. 659.

teres nonnulli, Jesum Christum simul & semel Sacerdotem fuisse è genere Aaron, & Regem è stirpe David; sed quando vera hæc sint de Jesu, numquid & de Josepho idem reputandum? Erat juxta Scripturas Jesus Christus Rex pariter & Sacerdos, Sacerdos tamen juxta ordinem, non Aaronis, sed Melchisedech, & Rex alterius planè quàm constituti in orbe Regni.

ARTICULUS II.

Quodnam S. Joseph munus exercebat.

x Protevang. Jacobi 2. & 9. y Iliad. 9. z Evangelium Infantia 2. 38.

Vetus, nec ambigua, traditio tenet lignariam exercuisse S. Josephum. Evangelium apocryphum S. Jacobi adium adificatorem fuisse docet (x); addit pariter, quòd cum semel sacra buccinæ sonitu viri omnes conjugè viduati in Israele ad Templum, virgam quilibet suam ferentes, invitarentur, Josephum ascia relicta (y) procurasse cum cæteris. Legimus pariter in Evangelio apocrypho Infantia Salvatoris (z), Jesum Christum unâ cum S. Josepho patre suo per Urbem discursisse, quòd ad exercitium artis suæ appellabantur, nempe ad conficiendas arculas, cribros, januas; & cum fortè in lignum aliquid incideret brevius sive longius, quàm oporteret, Jesus Christus solo tactu comparabat ad opus. Non auctoritatem moror horum Operum, sed vetustatem & veteris receptæ traditionis testimonium.

Refert S. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, Jesum parenti suo præfuisse in conficiendis jugis & ararris. Cædendis arboribus, ædibus adificandis, similibus cæteris exercendis incubuisse perhibet S. Ambrosius (a); sed ibidem pariter asserit, instrumenta illum tractasse ferramentarii vel fabri ferrarii, quòd è Theophylo Antiocheno vir Sanctus deduxit. Refert Theodoretus, & Sozomenus (b) quævisse olim Libanium à viro quodam Christiano, quid faceret Jesus Christus: cui alter respondit, feretrum Imperatori Juliano fabricare. Auther Operis imperfecti in Matthæum cap. 1. 18. S. Thomas, recentiores ferè omnes Interpretes fabrum lignarium illam constituant: quæ sanè traditio est totius Orientis, unde deduxit Mahometus, Josephum artem suam exercuisse in Templo Domini.

Cum tamen Græca vox Τέξων, qua Evangelistæ professionem S. Josephi exprimunt, designet generatum hominem opificem, Veteres plures autumarunt, ferrariam exercuisse. S. Hilarius expressè in Matthæum 13. habet. Jesus fabri erat filius, ferrum igne vincens. Hanc sententiam non reprobasse S. Ambrosium, supra observavimus; sed ferrariæ lignariam jungit: Pater Christi igne operatur, & Spiritus tanquam bonus anima faber vitia nostra circumdolat. Beda Venerabilis in Marc. 6. sub allegoriæ ambagibus scribit, Jesum filium esse viri, qui per ignem & spiritum operatur; ipsum verò Jesum baptizare in

Spiritu & igne. Eandem allegoriam sequitur S. Petrus Chryfologus (c), paraphrasi exponens verba illa Nazæorum de Jesu: Hic est Jesus filius fabri. Rectè illi quidem, ait Chryfologus, quamquam ignorantes, quid dicerent; est enim servator filius illius Patris, qui mundum fabricavit non malleo sed præcepto, qui mundi massam formavit auctoritate non carbone, qui lucem soli contulit non terreno igne, sed superno calore. Idem præfert Textus Hebræus S. Matthæi à Tibio vulgatus. Hugo Cardinalis, qui aurificem virum facit, in cementarium pariter inclinat. Bollandistæ sermonem quantum S. Augustini de Nativitate (d); tandem Cornelius à Lapide laudat alterum locum S. Doctoris, ubi traditur ædes illum fabricasse; sed facile tanquam faber lignarius, non tanquam cementarius. Fateri enim oportet, vetustissimam & maximè receptam opinionem tenere lignariam illum exercuisse; & quicumque fabrum ferrarium habuerunt, allegoriam potius secuti videntur, quam scilicet allegoriam facillè suppeditat vaga illa & generalis vox faber.

ARTICULUS III.

An S. Joseph Virginitatem servaverit.

Virginem fuisse virum toto vitæ tempore defendunt cum Veteribus nonnullis Recentiores plures Interpretes. S. Hieronymus potissimus est ejus opinionis assertor, in Libro contra Helvidium c. 9. (e), ubi continentiam jugiter servasse illum asserit, quòd Jesus Virgo è Virgineo conjugio nasci posset. Etiam ipsum Joseph Virginem fuisse per Mariam, ut ex Virginali conjugio Virgo Elius nasceretur. Mariæ autem, quam putatus est habuisse, custos fuit potius quàm maritus. Addit insuper, nupsiam legi illum in conjugio vixisse. Auther Sermonis quanti in Nativitatem, in Appendice Operum S. Augustini per Doctores Lovanienses, asserit pariter Virginitatis hujus in Josepho privilegium. Longius etiam excurrit S. Petrus Damiani Opuscul. 17. num. 3. Ecclesia fides est, ut Virgo fuerit & is qui simulatus est Pater. Hæc hodie sententia invaluit apud Fideles (f); sed ad fidem Ecclesiæ planè non pertingit, cum apud Veteres, uno excepto S. Hieronymo, vix obtineat suffragatores. Obtinuit quin etiam vetustissima traditio, Josephum conjugè viduatum, S. Virginem duxisse. Id non obscure præferunt Evangelia illa apocrypha, de quibus supra (g). In Protevanglio Josephus ne ducat Mariam causatur: Senex ego & liberis non careo; illa vicissim puella est; in fabulam Israelis illam ducens convertat. S. Epiphanius hæres. 51. num. 10. notat, egisse illum ætatem 80. circiter annorum, conjugè orbatum fuisse, & sex liberorum patrem. S. Hippolythus Thebanus quatuor illi filios & geminas filias assignat (h); filios nempe Jacobum, Simonem, Judam, &

c Serm. 48. to. 7. Biblioth. PP. pag. 883.

d Bolland. 19. Martii. Non legitur sermo iste in nova editione S. Doctoris, sic ut nec in editione Lovaniensi, nihil tale lego, nisi fortè in secundo sermone ad articulum Epiphaniæ, ubi Auther alludens ad nomen Artifex, illud exponit cementarium, architectum, fabrum lignarium. e Vide & in Matth. 23.

f Vide Bollandistas ad 19. Martii.

g Protevang. Jacobi n. 9. Vide & Evangel. de Nativitate Mariæ n. 7.

h Chronic. pag. 59. Edit. Fabric.